

dignitatem, si ² eum necessitas questionis subeunda inveniatur.—Dat. 15 kal. octobr. *CP.*, RICHOMERE ET CLEARCHO CONSS. 384.

3. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Hadriano P. P.

Generali lege sancimus, ut sive solidis provinciis sive singulis civitatibus necessarii fuerint tabularii: liberi ² homines ordinentur: neque ulli deinceps ad hoc officium pateat aditus, qui sit obnoxius servituti. Sed et si quis dominorum servum suam, sive colonum chartas publicas agere permiserit: (consensum enim non ignorantiam volumus obligari) ipsum quidem in quantum interfuerit publicae utilitatis pro ratiociniis, quae servo sive colono agente tractata sunt, obnoxium detineri: servum autem competentibus affectum verberibus fisco addici: dominorum enim interfuit ab initio providere, ne publicis actibus privata servitia immiserentur.—Dat. 8 kalend. april. *Mediolani*, VINCENTIO ET FRAYITA CONSS. 401.

4. Imp. THEOD. ET VALENT. AA.

Boethios, logistas, medogrammateos, logographos, diastoleas (quae vocabula publicis dicuntur subjacere necessitatibus) sive quolibet alio nomine nuncupentur, non honore, aut alicujus privilegii colore subnixos, pro definitione legum inexorabilium suam fortunam subire compelli: quatenus nec publicis quidquam coeant, aut minuat utilitatibus, et suis corporibus illi reddantur, quos vel patris, vel majorum obligatio, vel sua constringit.

TIT. LXX.

DE SUSCEPTORIBUS ¹, PRAEPOSITIS, ET ARCARIIS ².

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Eufraxium rationalem trium provinciarum, post alia.

Susceptores publicos absque ³ omni mora aurum censum suscipere: ne quis per hanc occasionem sumptus facere compellatur. Nam si solvere volens, a suscipiente fuerit contemptus, testibus adhibitis contestationem debet proponere: ut hoc probato, et ipse securitatem debitam, commissi nexu liberatus, cum emolumentis accipiat: et qui suscipere neglexerit, ejus ponderis, quod debebatur, duplum fisci rationibus per vigorem officii praesidis inferre cogatur. Quod autem susceptores, iudice, cujus interest, negligente violaverint, ex ipsius iudicis facultatibus sarietur.—Dat. 14 kal. Aug. PAULINO ET JULIANO CONSS. 323.

2. Imp. VALENT. ET VALENS AA. ad Secundum P. P.

Juxta inveteratas leges nominatores ⁴ susceptorum, et eorum, qui ad praeposituram horreorum, et pagorum creantur, obnoxii teneantur, si minus idonei sint, qui ab eisdem fuerint nominati: nec quidquam ex eorum substantia, celebrata per interpositam personam emptioe, mercetur.—Dat. 3 kal. Aug. *CP.*, VALENTIN. ET VALENTE AA. CONSS. 365.

3. Imp. VALENT. ET VALENS AA. ad Mamertinum P. P.

Susceptores novi non modo praesentis anni debita, verum etiam species, quas ex reliquis inferunt, quia novae sunt ac recentes, suscipiant.—Dat. prid. kalend. novembr. *Romae*, VALENT. ET VALENTE AA. CONSS. 365.

4. *Idem*, AA. ad Florentium com. S. L.

Neminem susceptionis munere functum ad idem munus adstringi, nisi ⁵ se prius vinculo sollicitudinis superioris absolverit. Nam neque eos, qui placuerint, gravare, justus est, neque eos, qui displicuerint, tenere, prudentis est. Integro igitur singuli ⁶ anniversario anno transcurso cogantur exponere, quibus titulus suscepta disperserint: ut facilius si quis in furto fuerit deprehensus, recentem queat reintegrare jacturam, non perpetui autem exactores teneantur in continuata vexandorum provincialium potestate, velut concussionum dominatione: sed per annos singulos judiciaria sedulitate mutentur, nisi aut consuetudo civitatis, aut auctoritas ordinis eos per biennium esse compellat.—Dat. prid. kal. decemb. *Constantinop.*, HONORIO N. P. ET EVODIO CONSS. 386.

5. *Idem*, AA. ad Germanianum comitem S. L.

Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.—Dat. 6 id. Januar. *Romae*, LUPICINO ET JOVINO CONSS. 367.

6. Imp. VALENT., VALENS ET GRAT. AAA. Probo P. P.

Frumenta, quae horreis inferuntur, pro illationis modo illico ⁷ apo-

1. L. 33, supr. de decur. — 3. *Idem* L. 3, supr. de servis reipubl. Tr. LXX. — 4. L. 3, D. de censu. — 5. L. 1, § 2, D. de numer. — 6. *Idem* L. 35, supr. de sacros. eccles. — 7. L. ult. infr. h. t. — 8. *Idem* L. 3, supr. de conventu. fisci debitor. — 9. *Idem* L. 9, § 2, D. de publican. — 6. L. 3, infr. de execut. — 7. L. 3, supr. de cond. in publ. horr. — 8. L. 1, supr. de canone largit. — L. un. supr. de offic. comit. sacri largit. — L. un. infr. de auri

charum cautionibus adnotentur: non autem oportet in horreis fiscalibus nisi fiscalia frumenta constitui.—Dat. 5 id. april. *Treveris*, post consulatum GRATIANI A. 3 ET EQUITI V. C. 374.

7. Imp. GRAT., VALENT. ET THEOD. AAA. Have Hypati K. N.

Diu minime penes ipsos susceptores maneat facta collatio: sed statim ⁸ quodcunque a provincialibus fuerit exsolutum, sacris thesauris inferatur.—Dat. 3 kal. Maji *Constantinop.*, post consulatum ANTONINI ET STRACII 383.

8. *Idem*, AAA. Cynegio P. P.

Exactores vel susceptores in celeberrimo coetu curiae, consensu et iudicio omnium subactorum testificatione firmentur: provincialiumque rectores eorum nomina, qui [ad] publicum munus officii editi atque obligati fuerint, innotescant: et animadvertant ⁹ quicumque nominaverint, ad discrimen suum universa, quae illi gesserint, redundare.—Datum 6 kalend. nov. *Constantinop.*, HONORIO N. P. ET EVODIO CONSS. 387.

9. Imp. VALENT., THEOD. ET ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

Modios ¹⁰ aeneos vel lapideos cum sextariis atque ponderibus per mansiones singulasque civitates iustissimè collocari: ut unusquisque tributarius sub oculis constitutus rerum omnium modis, sciat, quid debeat acceptoribus dare: ita ut si quis susceptorum conditorum modiorum sextariorumque vel ponderum normam putaverit excedendam ¹¹, poenam se sciat competentem esse subiturum. Et submotis quae contra utilitatem populorum omnium hactenus gesta sunt, frumenti quinquagesimas, hordei quadragesimas, vini et lardi vicesimas susceptoribus dari praecipimus. Humanitatis autem necessitate commoti, in Armenia partibus susceptoribus longinquitatis causa, frumenti et hordei quadragesimas, vini et lardi quintadesimas dari praecipimus.—Dat. 4 kal. decemb. *Constantinop.*, HONORIO N. P. ET EVODIO V. C. CONSS. 386.

10. *Idem*, AA. Cynegio P. P.

Susceptores praesentibus defensoribus et modum jugationis possessorum, et species singulas, vel eorum numerum quantitatemque describant.—Dat. 4 kalend. decembr. *CP.*, TIMASIO ET PROMOTO CONSS. 389.

11. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Benigno vicario urbis Romae.

Securitates ¹² semel publicatas et gestis lectas vini susceptoribus imputari, et caeptam mercedis discussionem volumus in apertum quaesita ratione deduci, et omnes publicas securitates, quae gestis tenentur, a susceptoribus accepto ferri.—Dat. 6 idus Jun. *Mediolani*, STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

12. *Idem*, AA. Pompeiano P. C. Africae.

Si aliquid a susceptore, vel a tabulario fraudis admissum esse possessor deprehendat: nemo eorum semel de interversione ¹³ convictus, id rursus officium gerat, in quo ante decessit ¹⁴, etsi rescriptum nostrum elicitum clandestina supplicatione intulerit.—Dat. prid. kalend. Januar. *Mediolani*, STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

13. *Idem*, AA. Lucio comiti sacrarum largitionum.

Duos tabularios, [seu numerarios,] et susceptores, totidem per universas provincias oportere constitui, clementia nostra praecipit. Scire autem volumus, praetorianam amplissimam praefecturam, eos ¹⁵, qui aurum largitionale susceperunt, nihil cum arca ratiociniis habere commune: iudices autem provinciarum quinque libris auri multandos, et primates officiorum capitali poena plectendos, si hoc non fuerit custoditum.—Dat. 6 kalend. februar. BASSO ET PHILIPPO CONSS. 401.

14. Imp. HONOR. ET THEOD. AA. Euchario.

Humilioribus officiis, aut extraordinariis oneribus occupari ¹⁶ curiales non patimur, ne publica vacillet utilitas. Susceptorem itaque vestium aequius est ab officio proconsulari, vel ab his, qui in eodem meruerunt, solenniter procurari. Horum namque interest hujusmodi explorare rationem, et quaerere qualitatem eorum, quorum ad constituendum commodior cura est: neque enim aequum est, ut ad officium lucra, ad curialem susceptionis tantum damna pertineant. Hanc igitur ab ordinibus injuriarum submovemus: exceptis his, qui curialium in officio memorato, aut militasse, aut militare fuerint deprehensi.—Dat. prid. kal. Mart. *Ravenn.*, HONORIO 9 ET THEODOSIO 8 AA. CONSS. 412.

15. Imp. THEOD. ET VALENT. AA. Volusiano P. P. post alia.

Aurum sive argentum quodcunque a possessore confertur, arcarius, ve-

publ. persecut.—9. L. 2, supr. h. t.—10. L. 1, supr. de condit. in publ. horr.—11. L. ult. infr. h. t.; L. pen. supr. de defensor. civit. N. 138, c. 15.—12. L. 3, supr. de quadricenni praeser. L. 2, supr. de discusor.—13. L. 8, supr. de iure fisci.—14. L. 40, supr. de decur.: L. 2, infr. de palat. sacri largit.—15. L. 5, § 1, supr. de canone largit. tit.—16. L. 21, supr. de decur.

susceptor accipiat. ita ut provinciae moderator, ejusque officium ad crimen suum noverit pertinere, si possessoribus ullum fuerit ex aliqua ponderum ¹⁷ iniquitate illatum dispendium: et quidquid ex provinciis ad nostrum dirigitur erarium, id ad illustres viros aetarii nostri comites relatione deferatur.—Dat. 5 kal. Mart. *Ravenn.*, post consulatum FELICIS ET TAURI VV. CC. 429.

TIT. LXXI.

DE PONDERATORIBUS, ET AURI ILLATIONE.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Eufraxium rationalem trium provinciarum.

Aurum, quod inferitur a collatoribus, si quis vel solidos voluerit, vel materiam appendere, aequa lance, et libramentis paribus suscipiatur.—P. P. 14 kalend. Aug. PAULINO ET JULIANO CONSS. 323.

2. Imp. JULIANUS A. ad Mamertinum P. P.

Quotiens de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo graecus zygostatem appellat, per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide, atque industria neque fallat, neque fallatur, contentionem dirimere.—Dat. 9 kalend. Maji *Salone*, JULIANO A. 4 ET SALLUSTIO CONSS. 363.

TIT. LXXII.

DE AURI PUBLICI PERSECUTORIBUS.

1. Imp. HONOR. ET THEOD. AA. Anthemio P. P.

Auri persecutores partim nulla praemissa (ut assolet) persecutoria, aurum [praesumunt] persequi: partim diutius retentant, quod statim ¹⁸ fuerat adsignandum. Ideoque censemus, ne quis absque praeprocepto viri illustris comitis sacrarum largitionum, vel coquendum aurum sumat, vel capiat deinceps retinendum.—Dat. 13 kal. Aug. HONOR. 8 ET THEOD. 3 AA. CONSS. 409.

TIT. LXXIII.

DE HIS, QUAE EX PUBLICA COLLATIONE ILLATA SUNT, NON USURPANDIS.

1. Imp. CONSTANTINUS A.

Nullus iudicium quod a republica ex collatione susceperit ¹⁹, mutui interventione opposita, vel invadat ²⁰, vel conetur invadere.—Dat. prid. non. Mart. *Treveris*, PAULINO ET JULIANO CONSS. 323.

2. Imp. GRAT., VALENT. ET THEOD. AAA. Have Lampadi K. N.

Nullus penitus ex eo, quod refertur in conditis, vel in arca continetur, ad quemlibet titulum usurpet: nisi forte praesumendi facultatem sublimium potestatum jussione ²¹ perceperit.—Dat. 3 id. april. *Constantinop.*, ANTONINO ET SYAGRIO CONSS. 382.

3. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Messala P. P. post alia.

Sciant iudices ²² nihil sibi ex privata rei canone, vel ex eo, quod ex iisdem titulis exegerint, ad necessitates alias transferre licere: nisi ²³ malint gravissima severitate suam licentiam coerceri.—Dat. 16 kal. Jun. *Mediolan.*, THEODORO CONSS. 399.

TIT. LXXIV.

DE AURO CORONARIO.

1. Imp. GRAT., VALENT. ET THEOD. AAA. Cynegio P. P.

Ad collationem auri coronarii placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.—Dat. 15 kal. februar. *Constantinop.*, RICHOMERE ET CLEARCHO CONSS. 384.

17. L. 9, supr. h. t. Tr. LXXI.—1. *Idem* Edict. Justiniani 11. Tr. LXXII.—1. L. 1, supr. de canone largit. tit. Tr. LXXIII.—1. L. 1, supr. de his qui ex publ. rat.—2. L. ult. infr. h. t.—3. d. L. ult. infr. eod.: L. ult. supr. de condit. in publ. horr.—4. Confer L. ult. infr. de collat. fund. patr.—5. L. 1, L. 1, supr. h. t.: L. 7, § 2, supr. de exact. trib.

TIT. LXXV.

DE IRENARCHIS ¹.

1. Imp. HONOR. ET THEOD. AA. Anthemio P. P.

Irenarchae, qui ad provinciarum tutelam, quietis, ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam, a decurionibus iudicio praesidum provinciarum idonei nominentur.—Dat. 8 kalend. Januar. *Constantinop.*, HONOR. 8 ET THEODOS. 3 AAA. CONSS. 409.

TIT. LXXVI.

DE ARGENTI PRETIO, QUOD THESAURIS INFERTUR.

1. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Eutychemio P. P.

Jubemus, ut pro argenti summa, quam quis thesauris fuerit illaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita ² ut pro singulis libris argenti quinos solidos inferat.—Dat. 11 kalend. Mart. *Constantinop.*, CAESARIO ET ATTICO CONSS. 397.

LIBER UNDECIMUS.

TIT. I.

DE NAVICULARIIS SEU NAUCLERIS PUBLICAS SPECIES TRANSPORTANTIBUS, ET DE TOLLENDIS LUSTRALIS AURI COLLATIONE.

Remittit omnibus prorsus collationem auri argenti, exceptis civitatibus aut vicis, qui quid ultima voluntate sub hoc collationis onere acceperunt, vel si quid a fisco eadem lege datum sit. Qui vero tale onus agnoscunt, in eorum arbitrio sit id solvere Constantinopoli, vel in provincia, sive quarto quoque anno, sive ultra quadriennium: sine damno, et perversitate ulla. Ac si quid eo illato supersit, id in alias civitatis necessitates impendatur, veluti opera, aut framenti coemptionem, aut lumina ³, aut similia. Constituit autem poenam e librarum scholae palatinorum, et praesidibus, et cohorti, et municipalibus, si haec quandoque non observaverint.

2. Ne quis, quo sit relevatus auri, atque argenti collatione, describatur in spectacula, vel alia quaedam: alioquin supradicta poena imminabit.

3. Imp. CONSTANTINUS A. ET JULIANUS C. Olybrio P. V.

Nullam ⁴ vim oportet naucleros sustinere, delegatas species annonariis transferentes, nec concussionis perpeti, nec aliquid genus incommodi: sed venientes, ac remeantes omni securitate potiri, decem librarum auri multa proponenda his, qui eos inquietare tentaverint.—Dat. kal. Jun. *Romae*, CONSTANTINO 9 ET JULIANO C. 2 CONSS. 337.

4. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Eusebio P. P.

Comperimus naucleros susceptas species in negotiationis emolumenta convertere: ideoque decernimus, ut intra annum, quas susceperint, inferant species, et securitates reportent, quae etiam diem illationis edoceant, ut intra alterum annum eis reddantur, a quibus species praestita sint.—Dat. 10 kal. Januar. *Mediol.*, ARCAD. 3 ET HONORIO 3 AA. CONSS. 594.

5. *Idem*, AA. Flaviano P. U.

Ab his, qui in naucleros praedas ⁵ egerunt, volumus eorum commodis satisfieri, et ideo ne crescat in posterum eorum audacia, sancimus, ut quicumque in rapinis fuerit deprehensus, poena quadrupli teneatur.—P. P. *Romae in foro Aproniani*, 9 kal. februar., STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

Tr. LXXV.—1. Fac. L. 9, supr. de jure fisci; L. 6, D. de custod. reor.; L. ult. § 7, D. de numer.

Tr. LXXVI.—1. L. un. supr. de coll. auri. Tr. 1.—1. L. 19, supr. de operib. publ.—2. L. 5, infr. h. t.; L. un. infr. de littor. et itiner. custod.; lib. 13, tit. 45.—3. L. 5, supr. h. t.

6. Imp. Honor. et Theod. AA. Anthemio P. P.

Cum navarchorum cœtus circiter provincias Orientis inopia navium titubaret, et investigandæ classis obtentu insularum secessus obiret, et navigandi opportunitate transacta, iudiciorum indignatio sine transvectionis expectaretur effectu: merito celsitudo tua præfecto Augustali, et insularum præside conventis civitatis Alexandrinæ, et Carpatie classis summates et nonnullos alios naucleros ejus professionis adduxit, ut onus frumentarii comæatus qui per Orientales navarchos ex Alexandrinæ civitatis conditis consueverat ad sacratissimam urbem transferri, in suam fidem susceptum, ad eadem augustissimæ urbis horrea comportarent: salariis pro mercedula præstitis ex tributariæ pensationis immunitate: vel ex eo quod vocatur *εὐζών*, necnon etiam aliis quæ conditionis limavit examem.—Dat. 14 kal. febr. Honor. 8 et Theod. AA. Conss. 409.

7. Imp. Theod. et Valent. AA. Idem, AA. Anthemio P. P.

Qui fiscales species suscepit deportandas, si recta navigatione contempta, littora devia sectatus, eas avertendo distraxerit, capitali pœna plectetur.—Dat. 14 kal. August. Constantinop., Honor. 8 et Theod. 3 AA. Conss. 409.

8. Idem, AA. Faustino P. P. post alia.

Judices, qui in partibus diocesibus sue onusta navigia, cum prosperior flatus invitat, sub prætextu hyemis immorari permiserint: una cum municipibus, et corporatis ejusdem loci fortunarum propriarum feriantur dispendiis. Naucleri præterea pœnam deportationis excipiant, si aliquid fraudis eos admisisse fuerit revelatum.—Dat. 18 kal. septemb. Ravennæ, Varana V. C. Cons. 410.

TIT. II.

DE PRÆDIIS ET OMNIBUS REBUS NAVICULARIORUM.

1. Imp. Valent. et Valens AA. ad Aureliam P. annon.

Domum etiam mansuetudinis nostræ in his quæ naviculario nœmine obnoxia sunt, agnoscere præcipimus debitam functionem.—Dat. 3 kal. octobr. Lupicino et Jovino Conss. 367.

2. Idem, AA. et Gratianus A. Achiloni proconsuli Africæ.

In his quæ navicularii vendunt (quoniam interciperi contractum emendi vendendique fas prohibet) emptor navicularii functionem pro modo portionis comparate subeat. Res enim oneri addicta est, non personæ mercatoris. Neque navicularium jubemus fieri eum, qui aliquid comparavit: sed eam partem, quæ emptæ est, pro suo modo, ac ratione esse munificam: nec enim totum patrimonium ad functionem naviculariam occupandum erit, quod habuit, qui rei exiguæ mercator accessit: sed illa portio, quæ ab initio navicularii fuit, ad pensionem hujusmodi functionis sola tenenda est: residuo patrimonio, quod ab hoc vinculo liberum est otioso, et immuni servando. Domus vero, quarum cultu decus urbium potius quam fructus acquiritur, ubi a naviculariis veneunt, pro tanto modo ad hanc pensionem obligari placet, quantum habebant emolumentum, cum pecunia mutaretur. Ubi vero spatium [loci] et exiguitas nullam habuerit pensionem, aut exstructio, cujus est ardua, difficilisque molitio, aut decus sumptuosus, aut (ut est plerumque liberale institutum) habitationem quis suam urbis ornameto adjecerit, nolimus munificentiam, quæ postea addita est, improbam licitationem existimationis excipere: sed vetusta potius loci species, et pensio cogitetur, quam cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosus accessit.—Dat. 3 non. August. post consulat. Gratiani A. 3 et Equith V. C. 375.

3. Imp. Arcad. et Honor. AA. Messalæ P. P.

Hi, qui fundos naviculariæ functioni adscriptos a naviculariis acceperunt quolibet ad se titulo transeuntes, secundum agri opinionem quæ antiquitus habebatur adscripta, naviculariam functionem suscipere cogantur, neque eas condiciones sibi existiment profuturas, quas venditor minus idoneus in se recepit impostæ mentis arbitrio: hac tamen pacatione servata, ut si ad minus idoneum fuerit translata possessio, etiam auctores transcripti prædii teneantur obnoxii: sitque hoc in promptu, ut damnis fiscalibus primitus ab idoneis consulatur.—Dat. 14 kal. Mart. Mediolan., Theodor. V. C. Cons. 399.

4. Fac. L. 6, in fin. D. de captiv. — 5. L. 3, supr. que res venite. — 6. Adde L. 6, supr. h. t.

TIT. II. — 1. Adde L. 8, supr. de exact. tribut. lib. 10, tit. 19. — 2. Immo vide L. 14, in fin. supr. l. 24, § 1, D. de contrah. empt. — 3. L. ult. infr. de collat. fund. fiscal. h. lib. tit. 75.

TIT. III. — 1. Adde L. ult. infr. h. t. — 2. L. un. D. ut in flum. publ. l. 3, in fin. D. de acal. l. 46, § 2, D. de jure fisci. — 3. Fac. L. 15, in pr. D. de interd. et relegat. — 4. L. pen.

TIT. III.

DE NAVIBUS NON EXCUSANDIS.

1. Imp. Arcad. et Honor. AA. Longiano P. P.

Multi naves suas diversorum nominibus et titulis tuentur: cui fraudi obviantes, præcipimus, ut si quis ad evitacionem publicæ necessitatis titulum crediderit opponendum, sciat navem esse fisco sociandam. Nam ut privatos quoque non prohibemus habere navigia, ita fraudi locum esse non sinimus: cum omnes in commune, si necessitas exegerit, conveniat utilitatibus publicis obedire, et subvectionem sine dignitatis privilegio celebrare.—Dat. 3 id. Januar. Ravennæ, Arcad. A. 7 et Probo Conss. 406.

2. Imp. Theod. et Valent. AA. Florentio P. P.

Jubemus nullam navem ultra duorum millium modiorum capacem, ante felicem embolam, vel publicarum specierum transvectionem, aut privilegio dignitatis, aut religionis intaucta, aut prærogativa personæ, publicis utilitatibus excusari posse subtractam: nec si cœleste contra proferatur oraculum, sive adnotatio sit, sive divina [pragmatica] sanctio, providentissimæ legis regulas oppugnare debeat. Quod etiam in omnibus causis cupimus observari: ut generaliter si quid ejusmodi contra jus, vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat. Quidquid enim in fraudem istius legis quolibet modo fuerit attentatum, id navigii quod excusatur, publicatione corrigimus.—Dat. 9 id. april. Theod. 17 et Festo Conss. 459.

TIT. IV.

NE QUID ONERI PUBLICO IMPONATUR.

1. Imp. Arcad. et Honor. AA. Rufino P. P.

Oneri publico sarcinam privatam ne quis imponat, nec audeat portitores framenti ad suscipiendum onus aliqua necessitate compellere. Hoc enim factu atque commisso non in dispendium solum atque naufragii damnum tenebitur obligatus, verum etiam publicæ coercionis experietur vigorem.—Dat. 5 id. Januar. Constantinop., Olybrio et Probino Conss. 393.

TIT. V.

DE NAUFRAGIIS.

1. Imp. Constantinus A.

Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertinet: fisco meus sese non interponat. Quod enim jus habet fisco in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?

2. Imp. Valentinian., Valens et Grat. AAA. ad Modestum P. P.

Si quis navicularius naufragium se sustinuisse adfirmet, provinciæ judicem, ejus videlicet in qua res agitur, adire festinet, ac probet apud eum testibus eventum: relatioque etiam ad sublimissimam referatur præfecturam: ita ut intra anni spatium veritate revelata competens dispositio procedat. Quod si per negligentiam præfinitum anni spatium fortasse claudatur, supervacuas serasque interpellationes emenso anno placuit non admitti.—Dat. P. P. Bersti, non. Jun., Modesto et Arintheo Conss. 372.

3. Imp. Grat., Valentin. et Theodos. AAA. naviculariis Africæ Sal.

Quotiens obruta vel submersa fluctibus navi examen adhibetur competentis judicis, duorum vel trium nautarum quæstione habita, cæteri ab hujusmodi nexu liberentur: quid est enim quod non abunde intra præfinitum numerum solers quæsitores inveniet? Circa magistris navium, quibus est scientia plenior, immoretur: qui si fatali sorte defuerint, in alios inquisitio transferatur. Sane si universos violentia tempestatis obruerit, ne veritas lateat, a liberis nautarum sive magistrorum intra judicia constitutis super eorum quærat interitu, quos navicularius nau-

§ 1, D. de veteran. — 5. L. 10, supr. de sacros. eccles. — 6. L. 1, supr. h. t.; L. un. infr. de nat. Liber., h. lib. tit. 26.

TIT. V. — 1. Lib. 17, D. g. — 2. Auth. navigia, supr. de furt. — 3. L. 3, in fin. D. de incend. — 4. L. 7, D. de f. — 5. Immo vide L. 5, infr. h. t. — 6. Immo vide L. 1, in pr. D. de incend.; L. 18, supr. de furt.

fragio periisse contendit. Susceptionis autem necessitas ex kalend. april. in diem kalend. octobr. mensura servabitur.—Dat. 8 id. februar. Treveris, Gratiano vel Theodos. 4 AA. Conss. 380.

4. Imp. Valentin. et Theodos. et Arcad. AAA. Tatiano P. P.

Pro his quæ semel a collatoribus illata naufragii perierint, nolimus nobis aliquam cum possessoribus, sive senatoribus sive privati sint, communionem esse, vel aliquid periculi ad eos redundare.—Dat. 18 kal. Aug. Constantinop., Tatiano et Symmacho Conss. 391.

5. Imp. Honor. et Theodos. AA. naviculariis per Africam post alia.

De submersis navibus decernimus, ut levato velo istæ causæ cognoscantur, et si quisquam de talibus negotiis aliquid accepisse delectur: judex apud quem constiterit, his conquerentibus qui nudantur pro qualitatibus personarum multandi, removendi, [proscribendique] habeat potestatem. Si vero casuarum talium cognitores libelli datione, vel plenaria interpellatione commoniti intra biennium has causas audire neglexerint, et hoc fuerit tempus elapsum: præjudicium noceat eatenus cognitori, ut naviculario propter vitium iudicis absolute, mediam oneris ejus partem, propter cujus probandam amissionem legitimo dantaxat tempore cognitio petebatur, judex cogatur inferre: residuum vero officium ejus exsolvat.—Dat. 16 kal. april. Ravennæ, Honor. 9 et Theod. 3 AA. Conss. 442.

6. Idem, AA. Anthemio P. P.

Super naufragiorum quæ contigerint casibus usitato more habita questione, si quis calculus modulationis dicatur tempestate maris deperisse, sub tuæ sedis auditione nequaquam feratur acceptus: sed hæc dispendii jactura, in omne nauclerorum concilium pro rata scilicet contingentis muneris deferatur.—Dat. 14 kal. februar. Honor. 8 et Theod. 3 AA. Conss. 409.

TIT. VI.

DE METALLARIIS, ET METALLIS, ET PROCURATORIBUS METALLORUM.

1. Imp. Valent. et Valens AA. ad Cresconium com. metallorum.

Perpensa deliberatione duximus sciendum, ut quicumque metallorum exercitium velit affluere, is labore proprio, et sibi et reipubl. commoda comparet. Itaque si qui sponte conduxerint, eos laudabilitas tua octonos scrupulos in balluca (quæ græce *χρυσάριος* appellatur) cogat exsolvere. Quidquid autem amplius colligere poterint, fisco potissimum distrahant, a quo competentia ex largitionibus nostris pretia suscipiant.—Dat. 4 id. decembr. Parisiis, Valentiniano et Valente AA. Conss. 363.

2. Idem, AA. ad Germanianum com. S. L.

Ob metallicum canoem in quo propria consuetudo retinenda est, quatuordecim uncias ballucæ pro singulis libris constat inferri.—Dat. 6 id. Januar. Romæ, Lupicino et Joviano Conss. 367.

3. Imp. Grat., Valent. et Theod. AAA. Floro P. P.

Cuncti qui per privatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino representent: cætero modo [propriis] suis desideris vindicando.—Dat. 4 kalend. septembr. Constantinop., Antonio et Syagrio Conss. 382.

4. Idem, AAA. Eusinio P. P.

Cum procuratores metallorum intra Macedoniam, Daciam mediterraneam, Messiam, seu Dardaniam, soliti ex curialibus ordinari, per quos solennis profligatur exactio, simulato hostili metu, huic se necessitati subtraxerint, ad implendum munus retrahantur: et nulli deinceps licentia laxetur prius indebitas expetere dignitates, quam subeundam procuracionem fideli solertique devotione compleverint.

5. Imp. Valent., Theod. et Arcad. AAA. Romulo com. S. L.

Per annos singulos septem per hominem scrupuli largitionibus infertur ab aurilegulis non solum in Pontica diocesi, verumetiam in Asiana.—Dat. 11 kal. Mart. Constantinop., Arcad. A. 2 et Rufino Conss. 392.

6. Imp. Theod., Arcad. et Honor. AAA. Paterno.

Quosdam aperta humo esse saxa dicentes, id agere cognovimus, ut defossis in altum cuniculis, alienarum ædium fundamenta labefactent.

7. Auth. navigia, supr. de furt. — 8. L. 4, § 1, in fin. D. de incend. — 9. Immo vide L. 2, supr. h. t. — 10. Adde L. 5, infr. de fabricianis, h. lib. tit. 9.

TIT. VI. — 1. L. ult. infr. de express. h. lib. tit. 77. — 2. Adde L. 6, infr. h. t. — 3. L. 5, supr. eod. — 4. Immo vide L. 4, in fin. supr. de præscr. 30 vel 40 annor.

Qua de re si quando hujusmodi marmora sub ædificiis latere dicantur, perquirendi eadem copia denegatur.—Dat. 17 kalend. april. Constantinop., Theod. A. 3 et Abundantio Conss. 395.

7. Imp. Theod. A. Maximo com. S. L.

Metallarii, [sive metallariæ,] qui quæve ea regione deserta, ex qua videntur oriundi, vel oriundæ, ad externam migraverint: indubitanter sine ulla temporis præscriptione ad propriæ originis stirpem, laremque una cum sua sobole revocentur, etiam quos domus nostræ secreta retineant. Sciant autem nullum exinde præjudicium fisco esse generandum, etiamsi quis ex his, quem metallicum esse constiterit, privatis censibus suum nomen indiderit.—Dat. 3 id. Jul. Constantinop., Victore V. C. Cons. 424.

TIT. VII.

DE MURILEGULIS, ET GYNÆCIARIIS, ET PROCURATORIBUS GYNÆCII, ET DE MONETARIIS, ET BASTAGARIIS.

1. Imp. Constantinus A. ad Bithynos.

Monetarios in sua semper conditione durare oportet: nec dignitatis cujuscumque privilegio ab hujusmodi conditione liberari.—Dat. 12 kal. Aug. Galliano et Basso Conss. 317.

2. Idem, A. ad Felicem procuratorem rei private.

Baphii, et gynæcii, per quos, et privata nostra substantia tenuatur, et species gynæcii confectæ corrumpuntur, in baphiis etiam admixta temeratio nævum adducit inquinatæ alluvionis: suffragis abstineant, per quæ memoratas administrationes adipiscuntur: vel si contra hoc fecerint, gladio feriantur.

3. Imp. Valentin. et Valens AA. ad Germanum consularem.

Ingenuæ mulieres, quæ se gynæciariis sociaverint, si conventæ denunciatione solenni, splendorem generis contuberniorum vilitati prætere noluerint, suorum maritorum conditione teneantur.—Dat. 4 kal. Jul. Mediol., Valentiniano et Valente AA. Conss. 363.

4. Idem, AA. ad Auxonium P. P.

Quod ad præsens remedium pertinet, quintum animal bastagariis pro reparatione præbeat. — Dat. id. decembr. Marcianop., Valentiniano et Valente AA. Conss. 363.

5. Imp. Valent., Valens et Grat. AAA. ad Filematium com. S. L.

Qui aliquem ex familiis gynæcii in latebris habere comperti sunt: quinque librarum auri damno subjiciantur.—Dat. 12 kal. septemb. Cilicæ, Modesto et Arintheo Conss. 372.

6. Imp. Grat., Valent. et Theod. AAA. ad Eucherium.

Qui tetrini nostri mancipia occultatione celaverit: ternis libris auri pro singulorum hominum suppressione plectetur.—P. P. Carthagine, 3 kal. Mart. post consulat. Auxonii et Olybrii 380.

7. Idem, AAA. ad Hesperium P. P.

Edicimus, ne qua mulier splendidiore gradus monetarii adhærens consortio, decus nativæ libertatis amittat: quod si qua ab hac præceptione statutum nostræ serenitatis abduxerit: ea vel legitima admonita conventionem discedat, vel si complexu monetarii putaverit inhærendum, non ambiget se [sibi] et liberis præjudicaturam, et ejus conditioni esse necendam.—§ 1. Si qua vero originaria, seu colonaria possessionis alienæ, ignaro domino, seu sciente, monetario adsociabitur: hi conventi mox juri agrorum debitas personas retrahere festinent: vel de cætero seiant repetendi facultatem, silentii sui conniventia perdidisse.—§ 2. Sed ut monetario nullam extraneam nequi volumus, ita et ex monetario patre susceptas prohibemus extraneis copulari.—Dat. prid. id. Mart. Aquilan., post consulatum Auxonii et Olybrii 380.

8. Idem, AAA. Trifolio com. S. L.

Æternam fiximus legem, ne unquam bastagariis militiam, vel suam deserere liceat, vel aliam antequam eam impleverint, surreptitia impetratione tentare.—Dat. 9 kal. Aug. Heracleæ, Richomere et Clearcho Conss. 384.

9. Idem, AAA. ad Principium P. P.

Si quis navicularum functioni muricis, et legendis conchyliis deputatam

TIT. VII. — 1. L. 9, l. 11, l. 12, l. 13, l. 15, infr. h. t. — 2. L. 2, l. 3, l. 5, l. 13, infr. eod. — 3. L. 1, l. 7, l. 15, infr. eod. — 4. L. 4, l. 8, infr. eod. — 5. L. 11, infr. eod. — 6. L. 7, in pr. infr. eod.; adde L. 1, infr. de dignit. — 7. L. 1, supr. h. t.

ausus fuerit⁸ usurpare, duarum librarum auri illatione teneatur. — Dat. 6 octob. *Aquil.*, *ARCAD.* A. et *BAUTONE* CONSS. 385.

10. *Impp. ARCAD., HONOR. et THEOD. AAA. Philometori com. S. L.*

Lotas in posterum sericoblatta⁹, et metaxa¹⁰ hujusmodi species inferri precipimus; viginti librarum auri condemnatione proposita his, qui scrinium canonum tractant: prioribus etiam cujuscunque officii, si statuta caelestia a quoquam passi fuerint temerari. — Dat. 5 kal. Jul. *Constantinop.*, *ARCAD.* A. 6 et *PROBO* CONSS. 406.

11. *Impp. THEODOS. A. et VALENTINIAN. C. Maximino com. S. L.*

Murileguli, qui derelicto, atque despecto propriae conditionis officio, vetitis se infulis dignitatum, et cingulis penitus denegatis munisse dicuntur, ad propriae artis, et originis vincula revocentur: ab illis autem, qui rebus eorum videntur inhiasse, quos in sua origine permanere, et solennibus ministeris inservire manifestum est, omnia quaecunque constituerit ex quocunque titulo possessa, antiquis possessoribus restituantur. Quod si alienigenae detentores oneribus conditionis extraneae maluerint subjacere, quam restituere facultates, et futura deinceps agnoscant munera sibi esse subeunda: et de praeterito, si qua ipsis possidentibus reliqua colliguntur, a semetipsis sciant sine aliqua excusatione solvenda. — Dat. 17 kalend. novemb. *Constantinop.*, *VICTORE* CONSS. 424.

12. *Idem, A. et C. Maximino com. S. L.*

Hi, qui ex filiabus murilegularum¹¹, et alienae originis patribus sunt, vel fuerint procreati, jura¹² maternae conditionis agnoscant. — Dat. 9 kal. Jun. *THEOD.* A. 11 et *VALENTINIANO C.* CONSS. 429.

15. *Impp. THEOD. et VALENT. AA. Acacio com. S. L.*

Si quis ex corpore gynaecciariorum, vel linteiariorum, vel lymphariorum, monetariorum, vel murilegularum, vel aliorum similium ad divinas largitiones nexu sanguinis pertinentium, voluerit posthac de suo collegio liberari: non quoscunque nec facile in locum proprium freti dextrae triumphalis absolute, substituant: sed eos, quos omnibus idoneis modis sub ipsis quodammodo amplissimae tuae sedis obtutibus approbaverint: ita tamen, ut is, qui ab hujusmodi conditione iuxta formam caelitus datam beneficio principali fuerit absolutus, universi generis sui prosapiam in functione memorati corporis permanentem, cum omnibus ejus, qui absoluti rebus obnoxiam largitionibus sacris futuram esse non dubitet. — Dat. 7 kal. Mart. *Constantinop.*, *DD. NN. THEOD.* 12 et *VALENTINIANO 2 AA.* CONSS. 426.

14. *Idem, AA.*

Privatae, vel linteariae vestis magistri, thesaurorum praepositi, vel baphiorum, ac texturorum procuratores, ceterique quibus hujusmodi sollicitudo committitur, non ante ad rem sacri aerarii procurandam permittantur accedere, quam satisfactionibus dignis eorum administratio roboretur: scituri, nec prosecutores quidem sacras posthac sibimet postulandas.

15. *Idem, AA.*

Qui¹⁵, aut patre conchylilegulo geniti probabuntur aut matre¹⁴, memoratae adscriptioni obnoxios se esse non ambigant. — Dat. 10 kalend. april. *CP.*, *HIERO* et *ARDABURO* CONSS. 427.

16.

Ne quis, ut fit, publicis corporibus adscribatur, nisi urgente necessitate, vel nisi sit ex eo genere, et tam arte, quam aetate habilis, atque idoneus actis apud praesidem provinciae factis, et esse illum idoneum corpore deponente, rursusque gestis ad nos delatis, ut confirmetur divino oraculo nostro vice probatoria¹⁶. Qui vero haec non servaverit, neque solatia inde ulla percipiet, nec ullum cum collegio commercium habeat, sed gravissime coercitus exilio perpetuo damnabitur extra provinciam, eisdem penis subjicitur, qui ei opem tulerit hac in re, et maxime praepositus.

TIT. VIII.

DE VESTIBUS HOLOBERIS ET AURATIS, ET DE INTINCIONE SACRI MURICIS.

1. *Impp. VALENTIN., VALENS et GRAT. AAA. Archelao com. S. L.*

Auratas ac sericas paragaudas auro intextas viriles¹ privatis usibus

8. L. ult. supr. de condit. in publ. heredis, lib. 10, tit. 26. — 9. L. 1, supr. que res venire. — 10. L. ult. supr. de pignorb.; L. ult. § 7, l. de publican. — 11. L. 15, infr. h. t. — 12. *Correct. N. 38, e. ult.* — 13. *Correct. d. N. 38, e. ult.* — 14. L. 12, supr. h. t. — 15. L. 9, infr. de divers. offic., lib. 12, tit. 60.

Tit. VIII. — 1. L. 2, l. 4, infr. h. t. — 2. L. 1, supr. cod. — 3. L. 1, l. 2, supr. cod.; L.

contexere conficereque prohibemus: et in gynaecciaris tantum nostris fieri precipimus. — Dat. 5 non. Jul. *Nebiodun.* Accept. 15 kal. Aug. *Martianop.*, *VALENTINIANO N. P.* et *VICTORE* CONSS. 569.

2. *Impp. GRAT., VALENTIN. et THEODOS. AAA. Floro P. P.*

Nemo [vir²] auratas habeat aut in tunicis, aut in lincis paragaudas: [nisi hi tantummodo quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est:] non enim levi animadversione plectetur, quisquis vetito se et indebito non abdicaverit indumento. — Dat. 3 kal. april. *Constantinop.*, *ANTONINO* et *SYAGRIO* CONSS. 582.

5. *Impp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA.*

Vellera adulterino colore facata in speciem sacri muricis intingere non sinimus: nec tinctum cum Rhodino prius serico, alio postea colore fucari: cum de albo omnium colorum tingendi copia non negetur: nam capitalem poenam illicita tentantes suscipient.

4. *Imp. THEOD. A. Maximino com. S. L.*

Temperent³ universi, cujuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis, et generis ab hujusmodi speciei possessione, quae soli principi ejusque domui dedicatur: nec pallia tunicasque domi quis sericas contextat, aut faciat. Quae tincta conchylio, quae nullius alterius permixtione contexta sunt, proferantur ex adibus, tradanturque tunicae aut pallia ex omni parte texturae cruore infecta conchylii. Nulla stamina⁴ sublexantur tincta conchylio, nec ejusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant: reddenda aeriario holobera vestimenta virilia⁵ protinus offerantur: nec est, ut quisquam de abjurato pretio conqueratur: quia sufficit calcaea legis impunitas. Ne quis vero nunc hujusmodi suppressione in laqueos novae constitutionis incurrat: alioquin ad similitudinem laesae majestatis periculum sustinebit. — Dat. 17 kal. februar. *Constantinop.*, *VICTORE V. C.* CONSS. 424.

5. *Impp. THEOD. et VALENT. AA. Apollonio comiti sacrarum largitionum.*

Purpura⁶ nundinas, licet innumeris sint constitutionibus prohibita, recenti quoque interminatione vetamus, et ideo septimum de scrinio exceptorum, sextum de scrinio canonum, quintum de scrinio tabulariorum ad baphia phoenices per certum tempus mitti precipimus, ut omnis fraus eorum prohibeatur solertia, timentium ne quaesitis longo sudore stipendiis careant: etiam viginti librarum auri condemnatione proposita. — Dat. 8 id. Mart. *Constantinop.*, *ISIDORO* et *SENATORE* CONSS. 456.

TIT. IX.

DE FABRICENSIBUS¹.

1. *Impp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Tatiano P. P.*

Omnibus fabricis non pecunias pro speciebus, sed ipsas species sine dilatione inferri precipimus: ut venerabilis, et quae facile deducatur ignibus, seu liquescat ferri materies praebatur: quo promptius adempta fraudibus facultate, commodo publico consulatur. — Dat. 15 kal. novembr. *THEOD. AA.* 2 et *CYNEGIO* CONSS. 588.

2. *Idem, AAA. Rufino magistro officiorum.*

Primicerium fabricae post biennium² non solum vacatione, verum etiam honore donari precipimus: ita, ut inter protectores [ejusdem fabricae per biennium] adoraturus, aeternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur. — Datum 8 id. Mart. *Mediol.*, *VALENTINIANO A.* 4 et *NEOTHEO* CONSS. 593.

3. *Impp. ARCAD. et HONOR. AA. Osio magistro officiorum.*

Stigmata³ (hoc est nota publica) fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci: his, qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabricae vindicandis, et qui subreptione quadam declinandi operis, ad publicae cujuslibet sacramenta militiae transierint. — Dat. 18 kal. Januar. *Constantinop.*, *HONORIO A.* 4 et *EUTYCHIANO* CONSS. 598.

4. *Impp. HONOR. et THEOD. AA. Anthemio P. P.*

Si quis consortium fabricensium crediderit eligendum in ea urbe, in qua natus est, vel in qua domicilium collocavit: his⁴, quorum interest convocatis, prius acta conficiat, seseque doceat non avo, non patre curiali

un. infr. nulli licere in frenis, h. lib., tit. 11. — 4. *Vide tamen N. Leon. So.* — 5. L. 2, l. 2, supr. h. t. — 6. L. 3, supr. que res venire.

Tit. IX. — 1. *Adde N. 85.* — 2. *Adde L. 2, infr. de primicerio, lib. 12, tit. 7.* — 3. *Adde L. 10, in fin. infr. de aqueduct., h. lib., tit. 42.* — 4. L. 47, in pr. D. de negot.

progenitum: nihil ordini civitatis debere: nulli se civili commanere obnoxium: atque ita demum gestis confectis, vel apud moderatorem provinciae, vel, si is absit, apud defensorem civitatis, ad militiam quam optaverit, suscipiatur: quod si absque hac cautione quispiam ad fabricensium consortium obrepserit, sciat se ad ordinis cui debetur, patriaeque suae munera, esse deducendum: ita ut nulla eum, nec temporis, nec stipendiorum prerogativa defendat. — Dat. 15 kal. Jun. *Constantinop.*, *HONORIO 9* et *THEOD. 5 AA.* CONSS. 412.

8. *Impp. THEOD. et VALENT. AA.*

Jure provisos est, fabricenses artibus propriis inservire: ut exhaustis laboribus immorentur cum sobole professioni cui nati sunt. Denique quod⁵ ab uno committitur, id totius delinquitur periculo numeri: ut constricti nominationibus suis, sociorum actibus quandam speculam gerant, et unius damnum ad omnium transit dispendium: universi itaque veluti in corpore unius formae, unius decoctionis⁶, si ita res tulerit, respondere cogentur. — Dat. prid. non. novemb. *CP.*, *THEOD.* A. 16 et *FAUSTO* CONSS. 438.

6. *Impp. LEO et ANTHEMIUS AA. Eufemio mag. off.*

Eos, qui inter fabricenses sacrae fabricae sociati sunt, vel eorum uxores, aut filios, qui itidem inter fabricenses militare dicuntur: non alibi pulsare volentibus respondere precipimus, nisi in judicio tuae sublimitatis, ad cujus jurisdictionem, potestatemque pertinent: nec eos post stipendiorum finem, et militiae, super civilibus, vel curialibus muneribus, quibus nullo modo subjacere monstrantur, a viris clarissimis rectoribus provinciarum, vel eorum officis praeter licitum inquietari.

7. *Imp. ANASTASIUS A. Eufemio magist. off.*

Nullus fabricensium conductioni, vel administrationi, vel agriculturae alienarum rerum se posthac immiscere conetur: dominis quidem, si [qui] contra haec statuta mea pietatis venire ausi fuerint, res vel praedia, quae scientes, quod fabricenses sunt, iisdem fabricensibus ministranda commiserint, amissuris: fabricensibus vero gravissime coercitis, post facultatum suarum amissionem perpetui exilii poena, et animadversione retinendis. Quotiens sane in translatione armorum angariae necessariae fuerint, sublimitas tua literas ad eminentissimum jubeat dirigi praefecturam: et numerum ei armorum, et ex quo loco transferenda sunt, indicare: ut continuo super praebendis angariis pro numero eorum, quae transferuntur armorum, praepositione sua viros clarissimos moderatores provinciae conveniat: ut secundum missam a sublimitate tua notitiam, naves, vel angariae confestim de publico praebantur. Quod si aliqua tarditas, vel negligentia post datas a sublimitate tua ad eminentissimum praefecturam literas, in destinandis auctoritatibus amplissimae tuae sedis intercesserit, et ex hoc armorum transvectio fuerit impedita: [in] quinquaginta libras auri, tam numerarium pro tempore officii ejusdem amplissimae sedis, quam alios, quorum interest, condemnari precipimus: eamque auri quantitatem protinus exactam fisci juribus aggregari: multa praeterea triginta librarum auri proposita, tam viris clarissimis, qui provincias regunt, quam eorum apparitoribus, si conniventibus his armorum subvectio tarditate aliqua fuerit praepedita.

TIT. X.

DE VETERIS NUMISMATIS POTESTATE.

1. *Impp. VALENT. et VALENS AA. Germano P. P.*

Solidos¹ veterum principum veneratione formatos, ita tradi, ac suscipi ab eminentibus, et distrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur, modo, ut debiti ponderis sint, et speciei probae: scituri universis, qui aliter fecerint, haud leviter in se vindicandum.

2. *Idem, AA. ad Julianum P. P.*

Pro imminutione, quae in aestimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.

5. *Impp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. Arintheo P. P.*

Universos auctoritas tua proposito edicto commoneat obryzatorum omnium solidorum uniforme pretium postulare: capitali scilicet supplicio puniendo, qui vel jussa nostrae majestatis avaritiae caecitate contempserit, vel aeternales vultus, dum fraulibus studet, duxerit violare.

5. L. ult. supr. de naufrag. — 6. L. ult. supr. de hered. decur.

Tit. X. — 1. N. Leon. 52.

TIT. XI.

NULLI LICERE IN FRENIS ET EQUESTRIBUS SELLIS ET IN BALTEIS MARGARITIS ET SMARAGDOS ET HYACINTHOS APTARE, ET DE ARTIFICIBUS PALATINIS.

1. *Imp. LEO A. Leontico.*

Nulli¹ prorsus liceat in frenis, et equestribus sellis, vel in balteis suis margaritas, et smaragdos, et hyacinthos aptare posthac, vel inserere: aliis autem gemmis frena, et equestres sellas et balteos suos privatos exornare permittimus. De cucurniis vero omnem prorsus qualiumcunque gemmarum habitum precipimus submoventi: fibulis quoque in chlamydis his utantur, quae solo auro, et arte pretiosae sunt. Si quis autem contra interdictum pietatis meae fecerit, sciat se continuo quinquaginta libris auri esse multandum. Nulli praeterea privatorum liceat (exceptis² scilicet ornamentis matronalibus, et tam muliebrium quam virilium annulorum habitu) aliquid ex auro, et gemmis, quod ad cultum, et ornamentum imperatorum pertinet, facere: neque illud sub hoc colore, et praetextu praeparare, quod velit clementiae principali velut aliquid munus offerre: pietas enim mea hujusmodi dona non expetit, neque regium [sibi] offerri a privatis cultum requirit. Sane si quis posthac aliquid contra vetitum hujusmodi sanctionis effecerit, et offerenda clementiae meae ornamenta, quae usibus regis deputata sunt, auro gemmisque decorata, ausus fuerit praeparare: centum librarum auri condemnatione sciat se esse feriendum: capitali quoque subdendum esse supplicio. Ornamenta enim regia intra aulam meam fieri [a palatinis] artificibus debent: non passim in privatis domibus vel officinis parari. Unde summa severitate sancimus, ut quod in cultu ornatuque nostro sacrum, et adoptabile est, id facere temeritas privata non audeat. Si quis sane contra vetitum tranquillitatis meae aliquid fecerit, definitam superius multam ab his per officia palatinorum exigi, et sacris largitionibus nostris jubemus inferri.

TIT. XII.

DE CLASSICIS.

4. *Impp. VALENTINIANUS et VALENS AA. Auxonio P. P.*

Classem Seleucenam aliasque universas ad officium, quod magnitudini tuae obsequitur, volumus pertinere: ut classicorum numerus ex incensitis vel accrescentibus compleatur, et Seleucena ad auxilium purgandi Orientis, aliasque necessitates comiti Orientis deputetur. — Dat. Indictione 12.

TIT. XIII.

DE DECURIALIBUS URBS ROMAE.

1. *Impp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. ad Trifolium P. P.*

Si quis decuriale de auferendis privilegiis putaverit lite pulsandum, intelligat se curiae interpellare debere judicem¹. — Dat. 14 kalend. februar. *Mediolani*, *TIMASTO* et *PROMOTO* CONSS. 589.

2. *Impp. HONOR., ARCAD. et THEOD. AAA. Exuperantio, Julio, et ceteris decurialibus.*

Leges decuriales tam a superioribus principibus, quam a divo parente nostro conditas, nostra auctoritate firmamus. Singulos itaque judices scire volumus, ne quis huic collegio injuriis² corporalibus tentet notam atterere, neque ab his commodis, quae rationibus approbantur, audeat separare: huic enim collegio volumus antiquam privilegiorum prerogativam servari. — Dat. 8 id. Jul. *Romae*, *HONORIO A.* 6 et *ANISTEYTO* CONSS. 404.

TIT. XIV.

DE PRIVILEGIIS CORPORATORUM URBS ROMAE.

1. *Impp. HONORIS et THEODOSIS AA. ad Alypium P. U.*

Nulli sit liberum, nulli permittum, ut novum aliquid urbis incolae in urbe sustineant: sed in honorem aeternae urbis corporatis indulta suffra-

Tit. XI. — 1. *Adde L. 1, supr. de vestib. holober.* — 2. N. Leon. 81.

Tit. XIII. — 1. *Adde N. 161.* — 2. L. 53, supr. de decurion.